



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 76. Petri Camporei & Octaviani Raggii Cardinalium obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

religiosorum exhibeant, statutum est, *Sæc. XVII.*  
 ut deinceps illam exhibere teneantur. *A. C. 1643.*

Die autem vigesima octava Augusti  
 ejusdem anni Caspar Nemius Antver-  
 piensis Episcopus suam habuit Synodum  
 in qua inter alia præcipue sancitum.  
 I. Ut Nutriciæ non suscipiant proles a-  
 lendas, nisi confiterit eas esse baptiza-  
 tas. II. Confessarii cum fœminis pro-  
 lixius non colloquantur, nec eas ad fre-  
 quenter sibi confitendum invitent, sed  
 illæ eo confitendi intervallo, quod ple-  
 rumque Monialibus præscribitur, con-  
 tentæ sint. III. Qui amissa voce ne-  
 quidem signum pœnitentiæ dare pos-  
 sunt, absolvendi sint, si fidelium testi-  
 monio constet, eos paulo ante Sacra-  
 mentum pœnitentiæ petiisse. IV. Pa-  
 rochi hæreticorum matrimonio non  
 assistant, etsi alter tantum sit hæreti-  
 cus. V. Nullus præsumat exorcizare  
 maleficiatos, aut a dæmone obsessos  
 sine speciali Episcopi commissione.

§. LXXVI.

*Petri Camporei & Octaviani Raggi  
 Cardinalium obitus.*

Nonnisi duos ex Cardinalium Colle-  
 gio hoc anno decessisse comperi-  
 mus. Horum prior erat Petrus Cam-  
 poreus patria Mutinensis, qui literis  
 appri-

*Maracc.  
 Purp. Rom.  
 Ciacon. in  
 vita Pauli V.*

Sæc. XVII. apprime imbutus, & Romæ in familiam Scipionis Cardinalis Burghesii admittus varias obibat Præfecturas, quibus cum tanta prudentiæ & integritatis laude functus est, ut a Paulo V. Curia Romanæ oraculum, & a Ferdinando Cæsare, & Philippo Hispaniarum Rege industriæ, & prudentiæ miraculum appellatus, ab eodem Pontifice Purpuram Romanam promeritus sit: Post Pauli V. obitum a Burghesianis in Sedis Apostolicæ Successorem designatus, ab aliis Cardinalibus palam rejiciebatur, uti supra memoravimus, quam tamen vexationem æquissimo tulit animo, jam dudum nec prosperis extolli, nec adversis dejici assuetus: Sedente vero Gregorio XV. Cremonensis Episcopus renuntiatus, Ecclesiam suam nunquam deseruit, sed omnia boni Pastoris officia exacte usque ad postremum vitæ diem adimplevit. Utebatur mensa admodum frugali, ab omni pompa alienus, quocirca ingentes conflavit divitias, quarum tamen haud exiguam partem in pauperes, & Ecclesias in honorem B. Virginis exornandas impendit: tandem vero nonagenarius Cremonæ die quarta Februarii decessit, in sua Cathedrali sepultus.

*Vid. supra*  
l. 193. §. 44.  
t. 57. p. 144.

Alter

Alter erat Octavianus Raggius Ge-  
 nuensis Patritius, qui præter generis Sæc. XVII.  
 A. C. 1643.  
 nobilitatem, ingentesque opes præci-  
 pue animi candore, morum ingenui-  
 tate, ac literarum præstantia excul-  
 tus, Romæ Protonotarius, Cameræ  
 Apostolicæ Clericus, utriusque Signa-  
 turæ Judex, annonæ & Telonii Præ-  
 ses renuntiabatur: cum autem Ur-  
 bano VIII. hujus Viri virtus, dexter-  
 itas, probitasque tam frequenti speci-  
 mine comprobata esset, ab eodem non  
 modo Purpuram, sed & prædivites  
 Abbatias, ac demum Aleriensem in  
 Corcyra Episcopatum obtinuit: mox  
 autem relicta Romana urbe ad Eccle-  
 siam suam contendit, ubi sublatis mo-  
 rum corruptelis Clerum populumque  
 verbo & exemplo ad meliorem vitæ nor-  
 mam reduxit, pauperes profusa libera-  
 litate sublevavit, suamque Cathedra-  
 lem, ceterasque Ecclesias adornandas  
 curavit: Demum vero a Papa Romam  
 revocatus, vix salutato Pontifice, ab  
 eoque benignissime inter amplexus, la-  
 crimasque exceptus, acuta febre cor-  
 ripitur, eodemque die & hora, qua  
 hanc lucem primo aspexit, mortis te-  
 nebris oppressus die decima tertia De-  
 cembris obiit, annos natus quinquaginta & unum.

*Hist. Eccles. Tom. LX. Aaa §. LXXVII.*